



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Liber De Prvdentia Ivstorvm**

**Juan <de Jesús Maria>**

**Coloniae Agrippinae, MDCXIV**

Cap. XXV. Hortatur ad perfectam conuersionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

## CAP. XXV.

*Hortatur ad perfectam conuersionem.*

**V**SQVEQVO, filij Adæ, claudicatis in duas partes? Mihi ex toto corde seruire renuitis, & mundo partem cordis male diuisi destinatis? Quid dicam vobis? cur me quasi durum Dominum timetis? Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Ego enim nunquam nocui viro, qui vellet seruire Patri meo: populus autem meus, si non contempisset me, non alleuassem lanceam meam super eam. Nunc verò quid vultis faciam vobis? Ero Deus vester, & mitissimo corde filios prodigos suscipiam, quamuis substantiam consumpserint viuendo luxuriosè. Nō reijcio publicanos, sed infinita dulcedine illis, ad primum gemitum, reconcilior. Non irascor seruo nequam supplicanti: sed decem millia talenta, ad solas preces, dimitto. Quare ergo vos de me non benè opinamini, & ad me toto corde reuerti dubitatis? Sacrificate mihi corda vestra, & per ignem exaudiam



audiam vos: & numerabo inter fidelissimos amicos meos. In misericordia reducam vos, & adducam per torrentes aquarum in via recta, nec impingetis in ea: quia factus sum vobis pater, & populus vester, melius, quam Ephraim, primogenitus meus est. Eritis mihi fœderati, nam, ab antiquo, dilexi vos, & luctum vestrum in gaudium cōvertere decreui. Sufficit præteritum tempus peccato impensum: nunc verò, sicut exhibuistis membra vestra seruire peccato sub tyrannide Pharaonis, sic (quod reliquum est vite) exhibete illa, vt seruiant iustitiæ, sub imperio suavissimo filij Dei, qui regnavit à cruce, & domuit orbem non ferro, sed ligno. Solvite iam vincula colli vestri, captivi Adæ filij, & ad libertatem filiorum Dei respirate. Projicite iam idola mundi de medio vestri: vt in corde vestro solus possim habitare. Mundamini balneo sanguinis mei, qui per sacramenta influit in animas vestras: & inter viua, perfecta que Ecclesiæ sponsæ meæ, membra, spiritu vitali meo regi, ac dulcissimo Iustorum consortio frui properate.